

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2019-2020

À rendre pour le jeudi 19 mars 2020

### **Version latine n°4 : histoire de Papirius Prætextatus**

*Longueur LC : intégralité. Longueur LM : 2<sup>e</sup> paragraphe seulement.*

[Historia de Papirio Prætextato dicta scriptaque est a M. Catone in oratione, qua usus est ad milites contra Galbam, cum multa quidem uenustate atque luce atque munditia uerborum. Ea Catonis uerba huic prorsus commentario indidissem, si libri copia fuisset id temporis, cum hæc dictaui. Quod si non uirtutes dignitatesque uerborum, sed rem ipsam scire quæris, res ferme ad hunc modum est.]

Mos antea senatoribus Romæ fuit in curiam cum prætextatis filiis introire. Tum, cum in senatu res major quæpiam consultata, eaque in diem posterum prolata est, placuitque ut eam rem, super qua tractauissent, ne quis enuntiaret, prius quam decreta esset, mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium, quidnam in senatu Patres egissent. Puer respondit tacendum esse, neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior. Secretum rei et silentium pueri animum eius ad inquirendum euerberat. Quærit igitur compressius uiolentiusque. Tum puer, matre urgente, lepidi atque festiui mendacii consilium capit : actum in senatu dicit, utrum uideretur utilius exque republica esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. Hoc illa ubi audiuit, animus compauescit, domo trepidans egreditur, ad ceteras matronas perfert. Venit ad senatum postera die matrum familias caterua. Lacrimantes atque obsecrantes orant, una potius ut duobus nupta fieret, quam ut uni duæ. Senatores, ingredienti in curiam, quæ illa mulierum intemperies et quid sibi postulatio istæc uellet, mirabantur. Puer Papirius in medium curiæ progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicut fuerat, denarrat. Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur, consultum facit, uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introeant, præter ille unus Papirius ; atque puero postea cognomentum honoris gratia inditum « Praetextatus », ob tacendi loquendique in ætate prætextæ prudentiam.

Aulu-Gelle